



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Disp. CLXXXIV. Vtrum in corporibus assumptis vere, solum secundum
imaginationem Angeli appareant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

hominem; ac proinde Angelus esset anima hominis: si autem non tribueret sensum, sed solum Angelus secundum se intelligeret, ac si a materia omnino esset abstractus, frustra vniretur corpori sine sensu, solum ut daret vitam: restat igitur, Angelos in se substantialiter non esse corporeos, neque ut formas substantialiter vniri posse corporibus: id quod adeo verum existimo, ut neque Deus potentia sua absoluta eos vnire possit. Genus enim causæ formalis, quod ab intrinseco præstat effectum, Deus non potest cuius naturæ communicare: sed ei solum formæ conuenire potest, quæ naturæ suæ virtute id habet: cum igitur Angelus naturæ suæ non sit forma corporis, id non potest illo modo à Deo habere.

ARTICVLVS II.

Vtrum Angeli assumant corpora.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod Angeli non assumant corpora. In opere enim Angeli nihil est superfluum, sicut neque in opere naturæ. Sed superfluum esset, si Angeli corpora assumerent. Angelus enim non indiget corpore, cum eius virtus omnem virtutem corporis excedat. Ergo Angeli non assumunt corpus.

2. Præterea. Omnis assumptio ad aliquam vnionem terminatur: quia assumere dicitur, quasi ad se sumere. Sed corpus non vnitur angelo ut formæ, sicut dictum est. Ex eo autem quod vnitur sibi ut motori non dicitur assumi: alioquin sequeretur quod omnia corpora mota ab Angelis essent ab eis assumpta. Ergo Angeli non assumunt corpora.

3. Præterea. Angeli non assumunt corpora de terra vel aqua: quia non subito disparent. Neque iterum de igne: quia comburent ea, quæ contingerent. Neque iterum ex aëre: qui aër infigurabilis est, & incolorabilis. Ergo Angeli corpora non assumunt.

Sed contra est, quod Aug. dicit 15. de Ciuit. quod Angeli in assumptis corporibus Abraham apparuerunt.

Respondeo dicendum, quod quidam dixerunt Angelos nunquam corpora assumere: sed omnia quæ in Scripturis diuinis leguntur de apparitionibus angelorum, contigisse in visione prophetiæ, hoc est secundum imaginationem. Sed hoc repugnat intentioni Scripturæ. Illud enim quod imaginaria visione videtur, est in sola imaginatione videntis. Vnde non videtur indifferenter ab omnibus. Scriptura autem diuina sic introducit inter eos Angelos apparentes, ut communiter ab omnibus viderentur. Sicut Angeli apparentes Abraham visi sunt ab eo, & tota familia eius, & à Loth, & à ciui-

bus Sodomorum. Similiter angelus qui apparuit Tobie, ab omnibus videbatur. Ex quo manifestum sit, huiusmodi contigisse secundum corpoream visionem, quia videtur id, quod positum est extra videntem: vnde ab omnibus videri potest. Tali autem visione non videtur, nisi corpus. Cum igitur Angeli neque corpora sint neque habeant corpora naturaliter sibi vnita, ut ex dictis patet, relinquitur, quod interdum corpora assumant.

Ad primum ergo dicendum, quod Angeli non indigent corpore assumpto propter se ipsos sed propter nos, ut familiariter cum hominibus conuersando demonstrent intelligibilem societatem, quam homines expectant cum eis habendam in futura vita. Hoc autem, quod Angeli corpora assumpserunt in veteri testamento, fuit quoddam figurale indicium, quod Verbum Dei assumpturum esset corpus humanum. Omnes enim apparitiones veteris testamenti ad illam apparitionem ordinatæ fuerunt, quia filius Dei apparuit in carne.

Ad secundum dicendum, quod corpus assumptum vnitur angelo, non quidem ut formæ, neque solum ut motori, sed sicut motori representato per corpus mobile assumptum. Sicut enim à sacra Scriptura proprietates rerum intelligibilibus sub similitudinibus rerum sensibilium describuntur: ita corpora sensibilia diuina virtute sic formantur ab Angelis, ut congruant ad representandum Angeli intelligibiles proprietates. Et hoc est, angelum assumere corpus.

Ad tertium dicendum, quod licet in sua raritate manens non retineat figuram, neque colorem: quandoque tamen condensatur, & figurari, & colorari potest: sicut patet in nubibus. Et sic Angeli assumunt corpora ex aëre, condensando ipsum virtute diuina, quantum necesse est ad corporis assumendi formationem.

CONCLVSIO est, Angeli, tamen si corpora non sint, nec naturaliter corporibus coniuncti, interdu tamen voluntate sua corpora assumere possunt.

DISPUT. CLXXXIV.

Vtrum in corporibus assumptis vere, et solum secundum imaginationem Angeli appareant.

Non solum in imaginatione, sed etiam in corpore apparent cap. 1.

De figura, & qualitatibus corporum, quæ assumuntur cap. 2.

Diluuntur argumenta prioris sententiæ cap. 3.

De qua materia, & qua virtute corpora ab Angelis assumuntur cap. 4.

CAPIT.

267
2. d. 8. ar. 2.
Et post q. 5.
aris. 7.

Art. præc.

Lib. 15. de
Ciuit. Dei
cap. 23. circa
prin. & 26.
16. cap. 29.
19m. 3.

Non solum imaginatione, sed etiam re ipsa Angeli in corporibus apparent.

Sententia fuit Vdalrici in summa libr. 4. vt refert Dionys. Carthus. in 2. disp. 8. q. 1. Angelos non re ipsa in corporibus assumptis, sed sola imaginatione sensus nobis apparere: & videri potest alicui eam sequutus Wilhelm. Parisiens. lib. 2. de vniuerso part. 1. cap. 69. dum probat, angelos non assumere vera corpora. Ceterum si attente legatur, solum contendit monstrare, corpora ab angelis assumpta non esse humana, licet humana esse videatur. Colligi tamen videtur ex Damasc. lib. 2. de fide cap. 4. vbi secundum translationem Fabri sic ait, Permissio autem Dei facta & fortitudinem habent, & transferuntur, & transformantur in quam volunt figuram secundum imaginationem: illud autem, secundum imaginationem, in Græco est, *phantasia*, hoc est, secundum phantasia. Secundo probari sic potest: angeli præstigijs, quasi ob oculos ponere possunt varias figuras, vt eas sibi homo videre videatur: cur ergo non dicemus, ita semper apparere? Tertio lamē, quæ referunt, se multa vidisse, & pertransisse varias partes terræ, solum secundum imaginationem, & phantasia illa omnia vident, vt definitur in Concilio Ancyano, vel Antiquiensi, & refertur in canone Episcopi 26. quæst. 5. cur igitur non dicemus idem de angelorum apparitionibus, cum ea, quæ laici apparere videntur, de monum opera fiant.

Vera tamen, & Ecclesiæ doctrinæ conformis sententia est, angelos in corporibus vere assumptis re ipsa visui & sensui exteriori apparuisse. Est autem communis Scholasticorum in 2. disp. 8. *Responsum* 1. p. disp. artic. 2. quæst. 1. & 3. Ricard. artic. 1. quæst. 2. & 3. Scoti quæst. 1. Durandi q. 1. Gabr. q. 1. art. 2. Dionysij loco citato Marisij in secundum quæst. 6. art. 1. in solutione 2. & 3. obiectioes contra primam conclusionem Alexand. 1. part. q. 3. m. 2. & 3. Alberti 2. p. tractatu 9. q. 33. membr. 2. 1. parte illius in corpore & ad primum, & de quæstionibus 1. parte q. 9. artic. 10. & 11. Quare vt optime notauit Dionys. falli videtur Vdalricus cum asserit, se in suam sententiam Albertum petraxisse: colligitur autem hæc sententia ex Scriptura, in qua eo modo factæ narratur apparitiones, vt non solum imaginatione, sed re ipsa ita contigerint. Siquidem homines, & angelos diu secum colloquutos fuisse refertur, qualis fuit illa apparitio Raphaelis facta Tobie, vt in lib. eius scribitur: cum enim non solum cum Tobia, sed cum alijs etiam angelus loqueretur, & responderet, indicium est, non sola imaginatione, sed re ipsa illud contigisse: nam, vt bene obseruauit S. Th. quæ secundum imaginationem contingunt, non omnibus communiter apparent.

Ex Patribus vero ita expresse docuit Augustinus 15. de ciuit. cap. 23. qui cum dubitet, vtrum angeli corporei, an incorporei sint natura sua, vt retulimus disp. 179. affirmat nihilominus indubitarum esse, in corpore figura ita vt videri, & tangi possent, apparuisse: idque negare impudentiæ esse. Id ipsum docuerunt Bernard. serm. 7. in cant. & Isid. li. 1. de summa bono c. 12. n. 19. consentit etiam Gregor. homil. 3. 4. in Euang. cū asserit, angelos ad nos aliquando visibiliter, aliquando inuisibiliter mitti. Et Athanasius sermone 4. contra Arrianos longe à medio, explicans illud Marci 13. Dedit autem illa, in-
Vasquez in 1. p. rom. 2.

quit enim, demones figuras bonorum Angelorum nonnunquam assumere: imo vero Damasc. pro opposita sententia allegatus hæc nostram expresse tradit lib. 2. de fide cap. illo 3. vbi de bonis Angelis ita loquitur, Terminum autem expertes eos ob hanc causam dico, quia probis, ac virtute præstantibus hominibus, quibuscumque eos conspiciendi sui copiam facere Deus voluerit, non quales sunt apparent, sed aliam atque aliam formam, prout videri ab hominibus possunt, assumunt. Quod vero de malis angelis dixisse supra retulimus, si recte ex Græco transferatur, vt vertit Billius, nihil priori sententiæ ad stipulatur quin potius nostram confirmat. Sic enim ille reddit, *potestate autem à Deo concessa, & viribus pollent, & immutantur, & in quamlibet formam, vt quidem apparet migrant: quod enim faber conuertit, secundum imaginationem, Billius transfert, vt apparet: & Græce dicitur, κατὰ φαντασίαν, Latine ad litteram, secundum phantasia. Nam quamuis φαντασία, Phantasia, Latine significet visum imaginationis interioris, denotat tamen etiam exteriorē: deriuatur enim à verbo φαίνω, Phano quod Latine est appareo: ideo recte Billius reddidit, Vt apparet. Vnde quia in sensu interiori fiunt veluti visus quædam, & apparitiones, recte dictum est φαντασία, Phantasia, & simulacra, seu species illius, φαντάσματα, Phantasmata, cum tamen phantasma etiam significet id, quod exterius appareat oculis, sed reuera tale non est, quale apparet, sicut Matth. 14. cum Iesus venisset ambulans super mare quarta vigilia dixerunt discipuli, Qui phantasma est. & Marci 6. Putauerunt phantasma esse, non quia soli imaginationi appareret, sed quia exterius videbant aliquid tale apparere, quale reuera putabant non esse. Sic ergo dixit Damasc. permissione Dei transformari secundum phantasia in varias rerum figuras, porcorum nimirum, serpentum, & hominum; cum reuera tales ipsi non sint, sed solum appareant. Atque eodem sensu Manichæi asserentes, Verbum Dei non verum corpus, sed solum phantasma assumpsisse, non ideo hoc dicebant, quia sola imaginatione verbum apparuerit in carne, sed quia cum oculis, & sensibus externis obiceretur omnium, vt homo, reuera talis non erat.*

Ceterum pro huius rei maiori explicatione notandum est primum, apparitiones tribus modis posse fieri. Primo secundum imaginationem: deinde secundum visum externum, sed hoc modo dupliciter, aut secundum immutationem quandam in ipso oculo, nullo existente exterius, vt præstigijs fieri solet, & phreneticis accidit, & hic fit secundus modus: aut tertio re ipsa existente exteriori aliqua figura, quæ talis qualitatē, & naturæ appareat, qualis reuera non est, sicut apparent colores in iride, qui reuera non sunt, eo quod lux in eo corpore ita disposita sua natura talis appareat. Dicimus ergo, non tantum primo modo Angelos videri, cum tamen interdum etiam sic videantur; nec solum secundo modo, cum ille modus non accadat in bona sensuum dispositione, sed solum cum præstigijs sensus perturbantur; Angeli autem etiam videantur sine vlla sensuum perturbatione, vt notatum est: sed etiam videri re ipsa per immutationem talis obiecti, quod in ea disticta & dispositione tale apparere natum est, vt de colore iridis dicebamus, & sequenti capite magis explicabitur. Et hinc patet solutio prioris rationis
Oo contrariæ

contrariæ sententiæ: concedimus enim, demonem immutare posse oculum præstigiis, ita ut exterius videre sibi videatur aliquid, cum reuera non sit: & hoc modo posse angelos hominibus apparere, sicut etiam in imaginatione, & somnijs. Facendum nihilominus est, alio etiam modo exterius videri in bona sensuum dispositione, seu tali corpore assumpto, ut natum sit in ea positione, & distantia talis figura, & coloris apparere.

Angeli non informant corpora quæ assumunt.

Origenes.

7^a.
Tertullian.

Malach.

Angelus vniuitur corpori, sicut motor.

Deinde nota, hanc corporum assumptionem non fieri per informationem, ut superiori art. probatum est: nec per vnionem hypostaticam: ut enim ostendimus 3. p. q. 3. art. 1. nulla creatura assumere potest hypostaticè secum alienam naturam, aut eam terminare, etiam secundum potentiam absolutam Dei. Quocirca lapsus fuit Orig. to. 2. in Ioan. in illa verba: Ecce ego mitto Angelum meum, &c. & alibi etiam cum ait, Malachiam fuisse angelum incarnatum: idem de Ioanne Baptista, & de Aggæo Propheta existimauit. Cum Orig. sensisse videatur Tertull. in libro de carne Christi cap. 3. & 6. vbi probat, non, fuisse verbo Dei impossibile, carnè assumere, quod angelis possibile fuit: quod nisi de vnione hypostatica intelligeretur, eius ratio nullius omnino momenti esset. Deceptus autem fuit Origenes quia Malach. i. cap. suæ prophetiæ, angelus vocatur, iuxta translationem 70. qui sic vertunt, Factum est verbum Domini in manu Angeli, vbi vulgata legit, in manu Malachie: quam sententiam impugnat Hieronymus in proemio Malachie, & in primum cap. Aggæi: dictus autem est Malachias angelus, etiam homo esset, munere tantum, & officio, sicut Matt. 11. Ioannes Baptista, ut disput. 179. c. 1. notauimus.

Tertio notandum, vnionem angeli cum corpore assumpto, solum esse accidentariam, sicut mobili vniuitur motor: angelus enim est motor corporis, quod assumit: habet etiam corpus assumptum hoc peculiare, quod sit similitudo angeli assumpti, aliquo modo ipsum repræsentans, & quasi ipsius persona apparens, ut docuit S. Tho. in hoc art. ad 2. Idcirco non dicuntur demones assumere corpora hominum, quæ obsident, etiam si illis vniuntur ut motores, quia per illa corpora non se manifestant, nec vt propria faciunt apparere, quantumvis eo torquant. Aliam conditionem addit Durandus, vt dicantur corpora assumpta, nempe esse formata virtute angeli assumpti, quæ tametsi semper adsit, vt cap. seq. videbimus, non videtur necessaria, sed duæ præcedentes sufficerent.

CAP. VI.

De figura, & qualitatibus corporum, quæ assumuntur.

DVobis externis sensibus angeli solent apparere in corporibus assumptis, visui, & tactui: nam licet voces edant, quæ ab auditu percipiuntur: hæc non sunt qualitates ipsorum corporum, sed quæ in obiecto aere formantur, de quibus nulla est difficultas. Visui autem apparent figura, & colores: mitto etiam motum, & quietem, & alia communia sensibilia, quæ in eis eodem modo videntur, sicut in alijs. De figura igitur, & colore dicendum nunc est. Figura quidem duobus modis apparere potest, vno modo, quia reuera in se terminatum sic corpus tali figura per condensationem aeris, aut substantiæ, quam assumunt. Altero modo, etiam in se non sit talis figure, qualis

apparet, in ea tamen positione natum est, ita apparere: sicut in nubibus multæ nobis loge obijciuntur figura, quæ reuera tales non sunt, & si propius viderentur, non ita apparerent: in ea tamen positione eo modo semper apparent. De coloribus autem vniuersum dicendum est, nullum colorum esse in corpore assumpto, sed solum lucis mirationem, vt in iride, eo quod materia illorum corporum, vt seq. cap. dicemus, adeo subtilis, & simplex est, vt coloris, & secundarum qualitarum corpus non sit. Quare in corpore solum apparentes colores esse queunt, qui secundum phantasiam, in sensu Damasceni dici possunt. Sed quamuis nec figura sit vera, nec veri colores: oculus tamen in ea positione ita ab illis immutatur, vt quantumvis homo attendat, discernere non possit, vitium sit vere humanum corpus, an tantum apparens.

Verum de qualitatibus, quas in corporibus illis angelorum homines sensu tactus percipiunt, bi videntur, maior est difficultas Aug. in Enchirid. 59. non audeat definire, vitium angelorum corpora, quibus apparer, tractabilia sint, an non. Ex quo difficile ipsi redditur, quod legitur Gen. 8. Abraham lausit pedes angelorum: id quod enim fecisse Loch sensibit Gen. 19. Difficile quoque explicandum ipsi est id, quod de ludâ iacob cum angelo tam solida cõtræctatione narratur Gen. 22. Respondet autem his verbis Cum ista queramus, ea, sicut potest, quisq. coniectat, non inuoluitur exenatione: si adhibeatur discretio moderata, & alij enim opinantur se scire, quod nesciunt quid enim opus sit, arg. huiusmodi assumuntur, vel negantur, vel desinunt eum discrimine, quâdo sine crimine nesciuntur: & quantum hæc dicat Aug. de corporibus, quibus angelos naturaliter cõstare putauit, idem fortiori ratione iudicium esse debet de his, quæ voluntate solutæ assumuntur. Iudiciū sane Aug. prudentissimum est, idq. nobis in multis alijs rebus magis occultis, in hac præsertim materia de angelis diligenter obseruandum, ne dum promptiores in rebus definitis esse cupimus, facile in absurdum labamur: atq. in rebus tanti momenti non debet inter minima absurda censer, aliquid sine fundamento & ratione ex proprio cerebro pronuntiare.

Ceterum coniectura aliqua probabilis ex principijs Philosophiæ ducta in præsentem questionem aliquid, quasi quibusdam vestigijs indicare, temeritati tribuendum non est. Primum igitur de duricie, quæ est qualitas quædam corporum, & inter obiecta tactus numeratur, dicendum est, non inueniri in corporibus assumptis ab angelis, etiam si tractabilia se præbeat hominibus, eo quod corpora illa subtilioris substantiæ sint, quam vt duriciem intrinsece habere possint, sicut habent lapidei, & alia id genus: nec enim angelus ita ea densare potest, & primas eorum qualitates immutare, vt inde qualitas illa se cunda, quæ solum in mixtis reperitur oriri possit. Nihilominus efficere potest angelus, vt homo contractans ea, videatur illi durum aliquid corpus tangere, & hoc est, corpus angeli exhibere se tractabile homini: hoc tamen non accidit tactui respectu corporis ab angelis assumpti, sicut accidit oculo respectu colorum eiusdem corporis: nam quamuis corpus illud ne duriciem, nec colorem habeat: habet tamen hanc, quæ tali modo visui obiecta, nata est suis speciei talis coloris apparere absq. ullis oculorum præstigijs. At vero nullam qualitatem in se habet, quæ

peculiari aliqua ratione obiecta, nata sit apparere ut duricies, sed virtute angeli talis sit resistentia tactui, ne corpus comprimat, quod appareat, ut videatur sibi agere aliquid durum, & resistens. Eodem pacto potest & figura percipi tactu, dum resistentia sit tactui eo modo, & tali positione, ut videatur sibi aut rotundum, aut quadratum contrahere. Idem dicendum est de mollitudine carnis, ut solum principiatu tactu, quatenus minor sit resistentia: ex quo facile iudicat homo carnem esse, quæ etiam oculo, ut caro apparet; cum tamen talis qualitas in eo corpore non sit, qualis est in vera carne, quam mollitudinem seu molliciem appellamus. In his ergo duabus qualitatibus facile illuditur sensus tactus, vel iudiciu intellectus ratione tactus, dum videtur sibi homo contrahere ossa, & carnes, quæ reuera non sunt.

Ex hac doctrina tria infero. Primum est, si homo attente consideret id, quod tangit in corporibus assumptis ab angelis, facile iudicare posse, illam non esse veram duriciem, nec veram molliciem, qualis in ossibus, & carnibus reperitur, quia si attenderet, facile perciperet, non ita immutari tactum ab illis corporibus, sicut ab aliis, quæ viuunt & veras carnes, & ossa habent. Contra vero si homo sibi persuasum habeat, illum esse verum hominem, quæ videt, quia oculus ita iudicat, & simplici animo contraheret corpus illius, videbitur sibi carnes, & ossa tangere, nec discernet, utrum sit verum corpus, an apparens tantum ita existimo accidisse Abrahamo, & Loth dum Genes. 18. & 19. lauerunt pedes angelorum: neque enim tunc cognouerunt, angelos esse, & in corporibus assumptis apparuisse, contra vero, ut narrat Caiet. 1. 2. q. 95. ar. 3. cum homo quidam cum demone succubo consuetudinem haberet, nec ex carnibus illius eam delectationem sentiret, quam cupiebat, dixit demoni, se non sentire eam delectationem, quam cum muliere sentire consuevit: demon autem miser respondit, se non posse facere carnes meliores: cum enim ille homo sciret se cum demone cubare, velle etiam experiri delectationem, quam cum mulieribus expertus fuerat, facile potuit tactu ipso discernere, se non sentire qualitates illas carnis, quas in mulieribus aliquando senserat.

Secundo sequitur maximum omnium argumentum resurrectionis Christi sensui fuisse, cum se discipulis obtulit contrahendum Lucæ ult. & Ioan. 20. Nam quod coram illis comederit, non fuit ita efficax argumentum visui: siquidem in corpore assumpto ita potest angelus comedere, sicut contigit Tobie 12. ca. quando comedit cum angelo Raphael: & forsitan hac ratione S. Thom. 3. p. q. 55. ar. 6. docet, singula illa argumenta resurrectionis per se non fuisse sufficientia, bene tamen coniuncta cum testimoniis prophetarum. Cui consentiunt Scotus, Gabr. infra allegandi disput. 186. ca. 2. ego tamen cum Caiet. loco superius citato puto, argumentum illud tactus efficacissimum fuisse ad comprobendam veritatem corporis humani in Christo: ideo ipse apostolis suis, quod tactu possent discernere carnes, & ossa, dixit Palpat. & videte: quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere: per spiritum intellexit corpus æreum assumptum, quod apparere solet, & phantasma dicitur. Si autem tactu non potuissent discernere veras carnes, & ossa molliciem & duriciem illorum, non dixisset, palpat. & videte, ac si diceret, Vaguetur in 1. parte Tom. 2.

tangite, & percipite veras carnes, & vera ossa: cum autem viderent eum manducare, non dixit, Videte quomodo manduco, quia spiritus non manducat, sciebat enim, etiam angelos in corporibus assumptis ita vere apparere manducantes, ut oculo discerni non possit, an reipsa vere manducant.

Tertio colligitur, duriciem, & molliciem esse qualitates sensibiles connumeratas inter obiecta tactus; ac proinde falsam esse quorundam philosophorum sententiam, qui censent, has qualitates à tactu non sentiri, sed maiorem, aut minorem resistentiam tantum sentiri sicut si aliquis tangeret cælum, in quo nulla sensibilis qualitas est, quia tamen penetrari non potest, quasi tactui resistens quodam modo sentiretur. Horum ergo sententia mihi non probatur, primum quia Arist. 2. de anima cap. de tactu eas cum obiectis tactus propriis annumeravit: secundo quia sensibile commune, ut figura nequit sentiri sine proprio: sentiretur autem in corpore sine quacunque alia qualitate solū cum duricie, aut mollicie: ergo hæc sunt propriæ qualitates sensibiles. Tertio frustra diceret Christus, palpat. & videte, nisi possent percipi ossa, & carnes secundum proprias ipsorum qualitates duricie & mollicie, sed per maiorem aut minorem resistentiam: sic enim eodem modo in spiritu apparere possent, hoc est, in corpore æreo, per æqualem omnino resistentiam: constat autem ossa solum sentiri posse ratione duricie, præsertim cum sunt coniuncta carni.

CAPVT III.

Diluuntur argumenta prioris sententia.

EXijs, quæ pro prioris sententia allata sunt, superest solum tertium argumentum de lamiis. Nam ad primum ex testimonio Damasc. in t. c. factis diximus. Secundum vero de præstigiis c. 2. dissolutum est. Ad tertium igitur de lamiis respondeo. Concilium Ancyranum aperte docere ea, quæ lamiæ incantationibus suis, & magis sibi accidisse narrat, in somniis solum ipsis contingisse, ut quod deferantur super bestias in quosdam agros, & reliqua huiusmodi. Consentit Augustinus 1. 8. de ciuit. Dei cap. 18. loquens de transformatione hominis in figuram alicuius bruti animatis: affirmat enim, hanc transformationem aliter fieri non posse, quam in somniis: nam licet fieri etiam possit per assumptionem alicuius corporis sub figura alicuius bruti, quod posset Dæmon homini ita coniungere, ut bestia appareret: tamen si homo liberos haberet sensus, nec graui somno oppressos facile iudicaret, se non fuisse re vera in brutum conuersum, nec vere onera graui portare, & fatigationem sensibile: quare cum homo credit, se in bestiam fuisse conuersum, & sub oneribus multum laborasse, existimare debemus, id totum in somniis illi accidisse: & in hoc casu loquitur August. de hominibus quoque, qui videre sibi videntur alios homines in bruta conuersos, affirmat, etiam extra somnum id fieri vi sola imaginationis, quæ ita facit rem exterius apparere, ac si reuera esset: potest etiam id accidere corpore aliquo homini coniuncto opera dæmonis, in quod talis formatio facta videatur.

Verum quamuis frequentissime ea accidant lamiis in somniis, ut affirmat Concilium Ancyranum, negandum tamen non est, aliquando etiam solutis sensibus in vigilia lamiis deferri non super gnat.

O o a veras

veras bestias, sed à demonibus in corporibus sub figura bestiarum assumptis, & alia huiusmodi exterius eis opera demonum vere apparere, ut docet Victoria in relect. de arte magica num. 4. & 5. Caiet. 2. 2. q. 95. art. 2. & Alphonsus de Castro libr. 1. de insula hereticorum punitione c. 16. id quod ipse Alphonsus multis confirmat exemplis. Respondet autem ad illud cap. Concilij Ancyani, primum mulierum illarum sectam, cuius ibi fit mentio, non esse a-masuram, & de illis tantum dixisse, ea omnia, quæ de ipsis narrantur, in somniis solum, non autem re ipsa contingere: hoc tamen non video, quo fundamento nitatur. Respondet deinde, in canone solum definiti, mulieres illas decipi, putantes ea, quæ frequenter in somniis accidunt, revera fieri: ob id tamen non definiti, nunquā re ipsa, sed semper in spiritu ea contingere. August. etiam tantum dixit, hominibus, qui putant, se in bestias conuersos sub grati onere multum laborasse, id nunquam nisi in somno grati accidisse, ob rationem superius dictam: sed non propterea negat, aliquando alijs spectantibus aliquam apparere posse in bestiam conuersum, ratione corporis assumpti à demone sub tali figura, sicut plane docent Alexand. 1. part. quest. 43. membr. 3. artic. 1. & Gabriel articulo tertio citato: id etiam fieri potest præstigijs, ut manifestum est.

CAPVT IV.

De qua materia, & qua virtute corpora ab Angelis assumantur.

Restat, ut postremo loco dicamus, ex qua materia prædicta corpora ab Angelis assumantur, & qua virtute formantur, & aptentur, ut talis figura, & coloris appareant. Circa prius, omnia opinione, quam refert Bonauentura asserentium, corp⁹ illud esse celestis materiz, eo quod nullam habet speciem probabilitatis: inter ceteros Scholasticos aliqui putant, alia corpora assumi ex materia aeris crassi, & densati, qui formati potest, & sub colore apparere, sicut nubes. Ita docuit Durand. in 2. dist. 8. quest. 1. num. 7. & videtur idem asserere S. Thom. in hoc art. ad tertium. Ex ipso vero corpore aeris, ut nunc est in sua naturali dispositione ea corpora assumi posse docerunt Alex. 1. part. q. 34. membr. 4. & Albert. 2. p. loco supra citato. & in lib. de quatuor coenit. 1. part. q. 9 art. 11. in solut. argum. ita ut boni de superiori aere, qui dicitur æther; mali vero de inferiori sibi corpora assumant: quæ videtur fuisse doctrina Isidori lib. 1. de summo bono c. 12. num. 19. & Bede in 8. tomo lib. q. 9. probant vero, tum, quia aer præsto est, huiusmodi apparitiones subito fiant. Tum etiam quia cum relinquitur corpus ab Angelo non resoluitur in crassiorem materiam, sed euaneſcit, ita ut statim non appareat: signum ergo est, ex ipsa materia aeris corpus illud fuisse desumptum.

Contra vero Bonauentura in secundum dist. 8. 2. parte distinctionis art. 2. quest. 1. Ricard. artic. 1. q. 3. ad 3. Scotus q. 1. §. in ista questione, vers. nam tunc assumit, & Gabr. q. 1. art. 1. notat 1. censent, non ex puro aeris elemento sine vlla mixtione corpora ab Angelis assumi, eo quod subtilioris substantiæ sit, quam ut condensari possit, & figurari: nec ex corpore perfecte mixto, sed ex corpore quodam aereo cum aliqua mixtione crassioris substantiæ, quæ facile quoque euaneſcere posset: id quod vero similis mihi videtur, nec vilo modo Sanctus

Thomas & Durand. negarent, cum virtus corporis in nubis, in qua non est sola substantia aeris, sed alia etiam permixta, qua crassior efficitur: imo vero de Isidoro, Beda, & alijs non satis collat, de puro aere loqui. Hoc tamen intelligendum est, ut Scot. notauit, de corporibus illis, quæ statim ut relinquuntur, euaneſcunt, Nam contingit interdum spiritus assumere alia corpora naturalia, ut corpus serpentis in paradiso, vel alterius animalis. Idem autem Tertull. lib. de carne Christi c. 3. dixit, Angelos assumere corpora de nihilo, & ea in nihilum conuertere, quia de subtili quadam substantia assumunt: idem dicendum de corpore columbæ, in quo spiritus sanctus visus est.

De formatione vero corporis docent Bonauent. Ricard. Scotus, Durand. & Gabr. sola condensatione fieri, quæ sola compressione, & motu locali partium intra se ipsas fieri potest. M. hi tamen occultum adhuc est, quomodo hæc corpora figurantur: nam cum compressio, & condensatio aeris sit causæ frigoris in aere, ut videmus in aere labijs, vel alia ratione compresso, statim frigus naturaliter sentiretur: nihilominus tactui apparet, ac si esset aliter viuentis, & sentientis temperamenti: figurum ergo est, alia ratione nobis quidem occurrere, fieri, in qua indaganda nimium immorari, impediens est.

De virtute vero, qua hæc corpora assumuntur, & præparantur, varie quoque Doctores sentiunt. S. Thom. in solut. 3. & Petrus Berghem in consuetudine locorum dub. 17. censent, virtutem Dei fieri. Alex. 1. part. q. 34. membr. 5. asserit, corpus assumendum, ab Angelo præparari, sed à Deo ultimo formari. Ceterum qualis sit hæc præparatio, & quomodo fiat, non explicat. Probabilis videtur, ut docent Albertus loci citatis, & Bonau. q. allegata, ad vlt. fieri, ab Angelo propria virtute. Sic etiam supponere videtur Scotus, & Gabriel, cum asserant, sola condensatione figurari: cum enim condensatione solo motu compressionis fiat, quem potest Angelus propria virtute efficere; consequitur, propria virtute posse ab Angelo corpus assumi. Et quoniam non sola condensatione id semper fieri potest: tamen aliquando Angelus applicatione aliarum causarum naturalium talia corpora perficere, ut assumantur. Id autem existimo probabilius: nam cum mali etiam angeli ad pessimos fines corpora assumant, non est vero simile, Deum propria virtute illa formare, & solum ipso dæmone ut instrumento vi.

DISPV. CLXXXV.

An omnes apparitiones Dei, quæ factæ narrantur, angelorum ministerio factæ fuerint.

Non omnes apparitiones ministerio angelorum factæ sunt, nonnulli vates existimant, cap. 1. Deum semper in vtroque testamento ministerio angelorum apparuisse, verior opinio fert, c. 2.

CAPVT I.

Non omnes apparitiones ministerio angelorum factæ sunt, nonnulli vates existimant.

Cum in veteri & nouo testamento sæpius hominibus apparuerit, non satis inter Ecclesiæ Patres in dubitatum est. Vtrum Deus ipse proxime, an loco illius, Angelus in eo corpore apparuerit. Nonnulli existimant.